


ETHOLOGIA
Vultus Religiosi,

Almæ Prouinciæ Maioris Poloniæ S. MARIAE Angelorum Fratrum Minorum Regul. Obseruantiæ

EXHILARATI

Ad fortunatum reditum pronubialem à Regno Galliæ.

Illustrissimi ac Reuerendissimi Antistitis & Dni:

D. VENCESLAI COMITIS à Lesno, LESCZYNSKI,

Episcopi & Ducis VVarmiensis, Dni & Mecænatis Colendissimi,

Gratularoriam Salutationem & omnis boni ampliorisque honoris, cum faustitate apprecationem ominatoriam præseferentis.

DELINEATA & PROPOSITA,

Per P. F Augustinum Cieplinski, eiusdem Ord. & Prou. Difinitorem actualem S. Th. Lectorem Generalem & ordinar. in loco Varsauien ad Aedes Diuæ Annæ Metertiæ. Anno æræ Christianæ Milesimo, sexcentesimo, supra quadragesimum sexto.



IN PRÆCLARISSIMA ORNAMENTA ET INSIGNIA.

ANTIQVISSIMÆ FAMILIÆ WIENIAVIANÆ ILLVSTRISSIMI ET REVENDISSIMI PRÆSVLIS

Doctrinæ præstantiâ, virtutum omnium gloriâ Viri magni & incomparabilis,

MINORITANÆ MVSÆ CVLTVS ET OBSEQVII SYMBOLVM.

Hæc Capitis facies, quid frons Bisontea poscit.
  Talia Nobilitas, dùm, Tua, signa gerit
Vimineus, nares stringens, quid Circulus arctat,
  Vt Stirpem exornent, Cornua quid faciunt?
Desuper erecta est cum gladio forma Leonis
  Aspectus rigidi; atque aurea serta gerens.
Scilicet, affectus, cerebrum, ratio, caput, & cor
  In Te funguntur munere quodquè suo
Pectus cum cerebro, sensum ratione gubernat
  Cor, capitis iussu, non nisi iusta cupit,
Cornua designant virtutem, ac ferreus Ensis
  Vimineus nexus, cauta docet labia,
Hinc secreta Tibi Regnorum credita seruas,
  Estq; Tuæ fidei, semper habenda fides.
Quid superest fidei, quam nunc decor ornat honoris?
  Hanc Crux consignet: non nisi * Præsulea.

*Archi

QVantam lætitiam, reditus Tuus pronubialis; non loquor, cordi Regio, aut totiùs Regni Procerum, populiq; vuiuersi pectoribus, impresit; verùm animis nostris Religiosis, tot ac tantis votis expetitus, Antistes Illustrisime. Si ingenij accumine assequi, legitimoq; veritatis colore, laudisué nota adumbrari satis posset; nullum perenniùs, in ætates æuiternas duraturum sanctitati famæ Tuæ, & magno nomini, monimentum fabricatum collocaretur. Namq; in omnium Prouinciæ nostræ alumnorum, per quàm venustâ aspectus grauitate, Cui! paululùm immorari, lineasq; primas hilaritatis, non tàm â foris, quàm ad intra legere, vel affectus formam extra promicantẽ contemplari liceret, fateri profectò vltrò deberet, nobis omnibus, talem vultum, non adscitum esse, vel ficte ad tempus assumptum; verùm ex arcana officina cælestis prouidentiæ, cui spes & vota singulorum innixa inhærebant, lineamentis promanantibus admiratiuis depictos, nos præseferre, animorum corporumq; aspectus: adeoq; vt ille qui vim eloquentiæ vel verborum energiam, ad exprimendam nostræ mentis effigiem congruè adhibere posset, cedro digna loqui iudicandus veniret; imò hoc opus, non inferioris gradus & subselij oratorum dianææ, negotium facesseret. Cùm enim totam fortunam difficilium itinerum, syrtum, charibdum, aut scyllæ pericula, totiùsq; peregrinationis Tuæ ambiguos euentus, vitã quoq; ipsam quâ nihil cariùs esse potest, nostris suffragijs & deuotioni, iam iam carinæ pedem imponendo, commissam reliqueris; fieri non potest, quin tantam voluptatem in aduentu Tuo capiamus, quanto Te studioso desiderio absentem prosecuti sumus, & quantam, animi nostri, orbitatis suæ pertesi, concipere ac capere sufficiunt. Atq; ita, quantùm tenue ac exiguum meum ingenium, rudisq; Minerua valere potest, operi Ethologico manum admouere non deterreor, quo, faciem Minoriticam Prouinciæ Maioris Poloniæ, deuotæ Tibi ac sacratæ Præsul Illustrisime, colore hilaritatis tinctam, communi omnium acici mentis inspiciendam producam: eâ potisimùm fretus ratio, ne, quod multi operam non omnino ludendo perdant suam,

B qui

qui exteriorem artuum ſymetriam circumſcribunt, & velut rudi pennicillo adumbrando obducunt, nullius vnquam cenſoriam virgulam auerſando. Et quid eſt! vt & ego quoſcunq; vituperones verendo reſpiciam? quando ad tot, omnium ſtatuum viuas lætitiæ Ideas, imò toti tripudianti Poloniæ, in Tuo, ex legatione fermè Angelicâ, reditu fortunato, & tantiſper præſtolato, ridentem faciem aſſumenti; ſimulachrum quoq; gratulabundæ noſtræ Minoritanæ Obſeruantiæ, hâc breui depictum pagina appoſitum conſtituo. Grauia quidem petilus humiliſq; molimina attento: aggredior enim rem propè ſuperbam multorumq; liuori inuidioſo exedendam, dùm Proſopon Religioſum, populari lætitiæ intromittendo inſero; & cum applaudentibus aduentui Tuo, Seraphicam quoq; Familiam obſeruantinam, almæ Prouinciæ S. Mariæ Angelorum in tripudia communia euntem patefacio, fauſtiſsimas cum omnibus ſympatriotis reditui Tuo congratulationes, non priuato ore congerens, ſed ſingulorum lætitiam, qui dignitati virtutis Tuæ litare cupiunt, complectens, animorũ propenſionem in Te aperiendo. Quo in auſus conamine, nemò à me excuſationem expectet, quod calepodiato vel pedeſtri ſermone gradiar; illoſq; qui aut florum amœnitate, aut artis gemma interpicta, legentium ingenia ſuſpendere laborant, propriæ ipſorum et induſtriæ vel facundiæ, relinquam: ſuſpicionis enim quandoq; non vacat periculo, quoties natiui coloris, nitoriſq; effigies, lomento quodam, ſeu purpuriſſo inficitur. Quare Tuâ fiat indulgentia Illuſtriſsime Præſul, quod præſenti lætitiæ totius Reipub. Sauromaticæ, ac eorum ſerenis vultibus, exultantibuſq; animis, me propinquiorem cum hâc Ethologia, aduentui Tuo fauſto congratulando, interponam; ac quo quiſq; ſigillatim applaudendo, acclamandoq; Tibi placere velit: Ego in Generis ac Virtutis Tuæ excellentia; eâq; dignitate, quâ Legationis & Paranymphi propè cæleſtis, munere functus es, Laconicâ ſimpliciq; breuiloquentia, ſtrictum compendium laudum Tuarum collocabo.

Atq; imprimis, dùm originem excellentiæ mortalium, ac ſcaturigines dignitatum, rimando perſcrutari volo, Generis & Virtutis claritatem, hæc duo deprehendo, quæ Heroes efficiunt, & à vulgari fortunâ hominum, obſcurâ, humiliq; conditio-

ditione eximere conſueuerunt. Scio à multis Scriptoribus & Hiſtoriographis rerum Polonicarum, pluribus Familijs primatum plerumq; deferri, tùm ex vetuſtate Stirpis & nobilitate ſanguinis; tùm dignitatum Eccleſiaſticarum cum Politicis ſucceſsiuo ac interrupto ſplendore. Quorum vtrumque Genti Lesczinianæ, facilè venit adiudicandum: Hæc namq; inter Proſapias eorum nobilium vel Magnatum, quos Polonus campus, orbis terrarum pulcherrimus, non frugibus magis & delicijs, quàm opum honorumq; diuitijs, nutriendo alit, pari ſemper paſſu antiquitatis, & præcelletiæ, gradiebatur; Polonicæ Nobilitatis clauum tenendò: Cuius quidem Gentis auitum inſigne Stemmatis dùm conſidero, nullos profectò decorum quorumcunq;, & magnæ fortunæ titulos, nec dignitatum virores, nec graduum præeminentias, intra totius Regni ambitum reperio, quibus caput Biſontinum redimitum non exſtiterit. Et ne ad Triauos vel Superiorum ætatum Maiores Tuos aſcendam. Quantùm Familia Tua in Repub. noſtro æuo floreat frondeſcatq; non niſi nouus in Polonia Hoſpes & peregrinus ignorat. In Te pulchritudo Præſulea & Ducalis Epiſcopatus Warmienſis: In Vterinis Tuis decor Senatori9, Palatinatus Belzenſis, Caſtelanatus Gneſnenſis, & Srzemenſis emicat. In alijs verò, eiuſdem Stirpis quaſi arboris cuiuſdam proceræ ac pulcherrimè reuireſcentis ramuſculis & palmitibus, non ſola dignitas Epiſcopalis, cum Cuſtodia Annuli digitiq; publici, ſeu authoritate Procancellariâ coniuncta; verùm etiam culminis Præfecturæ Generalis Maioris Poloniæ ſplendor floreſcit.

Andreas Leſzczynski.

Quanquam & Natalium ex Illuſtri Maiorum Proſapia ſortem alicui, ſed Tibi vel maximè contigiſſe Diuinæ ſit opis & largitatis. Quorum aliqui, quantum ex benè de Repub. meritis; quantùm ex re militari, viribuſq; bellicis, fortunarum ſunt conſecuti, non vna parte orationis determinandum, ſed integris voluminibus, panſiſq; laudum velis deducendum foret. Erat profectò qui pro ſalute Principum Regumq; ſuorum; ſunt qui pro tutela finium Patriæ ad internetionem hoſtium fidiſsima arma ſumpſerunt, merueruntq; inſeri Primis Equitum Polonorum ordinibus, & multis ditionũ latifundijs, velut æquamento laborum meritorumq; cohoneſtari. Et horum quidam in Domo Tuâ, Tiaras Præſuleas: aliqui clauas pluſquam Her-

1305. Dobieſlaus Puchala.

Prædiſla9 Goluchouius Palat. Caliſſ. 1373.

Raphael de Goluch.

Boſuta Gneſ. 1027.

cule-

Rudigierus 1160. Vernerus 1170. Philippus Poſnan. 1172. Philippus Poſnan. 1232. Fridericꝰ Cuiauié. Venceſlaus Leſczynski

culeas regiminis Ductorum Magnorum exercitum; non nulli ſuprema militarium ordinum præſidia; pleriq; Senatoriæ authoritatis ſubſellia: aliqui curiæ Regalis, Terreſtriumq; dignitatum munera depoſita reliquerunt: & vt hæc hiſq; ſimilia Domus Tuæ ornamenta, Progenitoris Tui ſublimitate cōcludam, Palatinum Breſtenſem, magni conſilij & prudentiæ virum ætati poſteriori inſinuo: præclarum illud ſidus, Supremum Regni Cancellarium annis nuperis, ac poſt Præfectum Generalem Maioris Pol. Patruum Tuum, prætereundo; Cuius pietatem Catholicam Romanam, & quidquid de homine Chriſtiano ſaluando dici poteſt, Eccleſia Goluchouienſis luculenter teſtatur. Atq; hinc eſſet quoq; gloriæ Tuæ campus latiſsimus, præiuiſſe Tibi ab auitâ paternâ ſtirpe, multa per ſæcula, religionis orthodoxæ, ac rei benè gerendæ natos; quorum, numero, Fortunæ, & Natalium, Te ſplendor Tuus inſeruit: vbi patens aperiretur ſpacium; in quo laxatis habenis, ſic mea excurreret oratio, vt ſi minùs par ac æqualis, at ſaltem is, qui à mediocri ingenio, & ſummo in Te ſtudio noſtro proficiſci poteſt, eminenti Familiæ honos à me exſolueretur.

Sed enim vereor, ne lumen, claritati ſolis addere temerè videar. Quare dabis, vt opinor, pro Tuâ moderatione facilè mihi hanc veniam: quod de ſplendore Generis Tui, & antiquâ nobilitate, minùs digna referam; nihil de tot præſtantibus toga & ſago Gentis Tuæ viris, nihil de illorum rebus decorè geſtis inſerendo; quorum gloriam, quâlibet magnâ & opulenta hereditate potiorem Tibi tradiderunt. Quippe Ego, hæc quæ Tua ita ſunt, vt & alijs tecum ſint communia, in Tuis laudibus ponenda mihi eſſe non exiſtimaui: alios iſta præcones admiratoreſq; habeant. Ego in Te, non niſi VIRTVTEM, alteram & præcipuam nobilitatis excellentiam contemplabor. Neq; enim virtuti ſtemmata correſpondere ſufficiunt: quæ (loquente Pòëta) Quid proſunt? quid prodeſt Pontice longo ſanguine cenſeri; pictos oſtendere vultus, maiorum. Nobilitas ſola eſt hæc vnica virtus. Cui, alio alludente. Non cenſus nobilem, non clarum nomen auorum. Sed probitas magnum ingenuumq; facit. Sicut enim familiæ hominum, ſplendore generis nobilitantur, ita animarum gratia, clarificatur ſplendore virtutis. Ex quo ſumma apud Deum nobilitas eſt, clarum eſſe virtutibus.

Iuuen. l. 3. Sat. 2.

Ouid. 1. de Pon. Amb. 1. de Noe. & Arca. Hier. ad Celan. Cic. 4. Rhet. c. 6

Virtus namque talem vim obtinet, vt per eam homines benè compoſiti inſtitutiq; euadant, cùm ſit effectrix conciliatrixq; honorum, ac eorum omnium, quæ optima cogitari, deſideriari & haberi poſſunt. Sæpiùs plerumq; implantatur humanæ ſoboli animis corporibusq;, parentum imaginis phyſiognomia, ita vt vtriſq; eadem penè ſors, mores, naturaq; conueniat: ſicut in plantis ramus inſertus vltra proprietatem innatam nihil germinat: Hinc non procul à ſtipite proprio poma cadunt. Aut velut in animantibus. Fortes creantur fortibus & bonis; eſt in iuuencis eſt in equis, patrum virtus, nec imbellem feroces progenerant aquilæ columbā.

Horat. 4. carm.

Scilicet eſt olim vis rerum in ſemine certa
Et referunt animos ſingula quæque patrum.

Marullus Pòët.

Plerumq; tamen virtutum paternarum extorres gnati efficiuntur. Nam ætas parentum peior Auis tulit, nos nequiores, mox daturos, progeniem vitioſiorem: Niſi diligenti cura honeſtæ educationis vt partus vrſinus efformetur. Doctrina enim, (canente Horatio) vim promouet inſitam. Rectiq; cultus pectora roborant. Vtcunque defecere mores. Dedecorant benè nata culpæ. Ad virtutem igitur ſolam non ad ea, quæ extra animum Tuum ſunt poſita, accedo: quæ ſe ipsâ contenta, nulla aduentitia re, ad complemētum felicitatis ſuæ indiget, nullam extra ſe appetit. Et ſi ad ipsā, nihil minus cogitantem, imò quandoq; inuitam ac reluctantem, vbi gentium ſpecies eius in amoribus eſt, ſumma & bona omnia affluere aſſoleant: Et quamuis cum labore ac ſudore quæratur, nec non niſi tanto à Superis pretio vendatur: tandem tamen poſt deuictas triumphataſq; difficultates, facile & nullo negotio, quo inter mortales maxima paſſim habentur, in eius ſinum deferuntur. Quēadmodum de quodam Græcorum Imperatore iactatum nouimus, ipſi ſcilicet dormienti fortunam reti vrbes capere ſolitam. Ita de Virtute iuſtiùs dici queat; Ei nimirum quiduis potiùs agenti atq; cogitanti, ad extremum ipſam fortunam, victas manus dare, ac omnia ſua eius permittere arbitrio. Hanc Tu optimam ducem & magiſtram iam inde à prima ætatula tibi delegiſti, quàm in deffeſſo pede, quocunque Te ipſa,

Horatius

per arduum laudandorum operum callem duceret, magno constãtiq; animo, in omni vita sequereris. Vnde propè est vt existimem, ipsam virtutem humanâ specie indutam hæc verba fecisse pactum Tecum ineundo. Ego (inquit) adolescens ingenue, hoc præstare solita sum mortalibus, vt veterno excusso, solidam felicitatem assequantur, quali quisque sit loco constitutus, in mea manu positum relictumq; est: quid cuiq; eorum, bonorum omnium largitor Deus datum velit, meo ore sententiatum, pronunciat. Age igitur mi animule, & corculum delicatum: pijssimo pectoris Tui sacrario semper præsentia mea inhæreat, monitaq; dulcescant, semper cor Tuum honestate mea gaudendo delectetur: nihil Tibi sit commercii cum istis simulatis & fraudulentis temporibus, nil cum rubiginosæ mentis alumnis; qualia sunt ocium, proteruia, temeritas, lasciuia, & huiusmodi in mente ipsorum nigredines. Illorum (aiebat) hæc sint mancipata arbitrio, qui pusillo circum pectora spiritu frigent emaciati, & supra humum, cui nati sunt, vix assurgendo attoluntur. Diuinior Tibi mens, quæ benè agendo sic experimenda est, vt quamdiu corporis angustiis stringitur, omnia quæ terrigenis contingere possunt summa, optimaque assequi valeat. Diuinitatis semina Tuam adolescentiam velut agrum quendam benè subactum ac congruè excultū (vt mihi videre videor) tantisper fæcundarunt: ac vt plantulam solo vberi, vel ramum stipiti Familiæ exflorescentis insertum reliquerunt, vt de feraci ac copiosa fructuum messe, me spes alat minimè fallax. Similia enim origini prodire conuenit, & paria his ex quibus orta sunt pullulare. Hoc colloquium Deæ fuisse censeo. Itaq; eius suasu atque ductu adolescentulus viriles cogitationes, generoso pectore maturè voluere cœpisti, repudiatisq; & procul abiectis blandis pestibus, quibus lubrica illa & præceps vita decipi corrūpique solet, in glorioso omnis disciplinæ curriculo constitisti, ad eas potissimum scientias studium animumque adiiciendo, quæ non modo Tuum ingenium expoliendo exacuerent; sed vitam ac mores præceptis optimis, honestisq; institutis imbuerent: quæ Tibi postmodum, ad boni viri,

& ad

& ad eximii In Repub. ciuis munera, ac officia præclarè subeunda magnum conueniensque adferrent adiumentum. Et huiusmodi quidem exercitationum scholasticarum tyrocinia Posnæ (si tangere vel meminisse fas est) in consortio nostro claustrali suauissimè aliquando posuisti. Postquam enim Tibi, pueritiæ septa vix dum egresso, illud vnâ cum Vterinis, luctuosum accidit: quod illustrissimus Parens Tuus, fato, (citiùs, quàm spes supererat) concessit. Inde ad prudentissimam ac pientissimam Matrem, Diuinâ ordinatione, delata est educationis necessitas; quæ commonitrice prudentiâ & discretione, Te pupillum cum alijs Vterinis, dexterrimis eorum studijs, & religiosorum virorum contubernio commisit, qui cùm dicerent quid faciendum sit, exequendo probabant; qui, docendo quid vitandum, nec vnquam in eo, quod fugiendum dixerunt deprehendebantur. Ex quo felicem Te felicem! cui, & virtutis, & dignitatis auitæ hæredem cœlitùs concessum est; feliciorem disciplinis liberalibus & catholicis eruditum esse; felicissimum, quod Matris non solum generosus, sed & deuotus Catholicæ pietatis spiritus Tibi accesserit, vnioni fidei Romanæ nexibus inserto. Viueret illa viueret, & Te nunc reducem Regium Paranymphum ex hâc fausta Legatione obuijs vlnis desideratissimum exciperet, & materno suaui affectu complecteretur: atque nouæ Reginæ in solum Polonū aduenienti, soliumq; Regale ductu Tuo ascendenti, vel subeunti pariter cum facie lætabunda totius Regni occurreret. quæ Te tantæ dignitatis imò amplioris capacem, & suę sactimoniæ veram ac genuinam effigiem reliquit. Cuius Matronæ, & Illustrissimæ Heroinæ, quanta sit perfectionis excellentia? Occurant illi nunc, qui celeberrima pictorum fictorum, poëtarumque simulachra suspensis oculis vsurpabāt: vmbram profectò vidisse se, præ lucidissimo sole hoc, faterentur. Veniant hi qui in corpus vnum congesserant quidquid vel Praxiteles Gnidiæ suæ; vel Phidias in fronte Lemniæ, vel Zeuxis in superciliis Penelopes, vel Apelles in animato illo Iunonis seu Helenæ, totius corporis & oculorum temperamento ex quinque viuis prototypis puella- Cic. 2. Rhet.

rum

rum elaborare potuit. Erat hæc Matrona, erat simulachris omnibus emendatior: cum hoc ipsum quod virtus, hoc natura, quod forma, hoc venustas gratiæ supernaturalis, quod morum honestas & grauitas, hoc ornamentum & pulchritudo fuit. Stob. ser. 12. Ornamentum (aiebat olim Crates Philosophus) esse id quod ornat. Ornat autem quòd honestiorem reddit mulierem: talem verò præstat, non aurũ, non Smaragdus, non coccus; sed quæcunque grauitatis, moderationis, pudoris speciem adhibet. Prou. 31. Elogio autem Spiritus S. apud Sapientem: non diuitias; non gratiam aut formam, sed timorem Domini, esse totam laudem & excellentiam prudẽtis ac sanctæ mulieris. Verum hæc de quâ mentio; maiori laudum encomio donanda foret, quæ dum vixit incomparabili vitæ sanctitate in cœlis versabatur. Et si ad vetustorũ morum ætates transire, & priscas illas virtutum imagines, tàm sacræ quàm profanæ paginæ in comparationem adducere licet. Non tantùm Ruth & Liuiæ, in erat prudentiæ, quantùm huic! Non illam Iudith vel Sulpitia æquanimitatẽ; non Hester aut Cornelia patientiâ; non Susanna nec Lucreria pudore & verecundiâ; 1. Reg. non Anna mater Samuelis vel Aspia, modestiâ adæquando superarunt. Atq; hinc ex Materna origine, nihil Tibi ad incrementa mundani decoris gloriosiùs, nihil ad viuendum illustriùs, quàm sanguinem generosissimum & sacrum traxisse; & quòd non minùs præcipuum est Generis claritatem Illustrissimæ Familiæ OPALINIORVM participasse: de quâ hoc solùm pro nunc sit prædicatum, hæc sola laudis gloria ob magnitudinem nominis sufficiat, quod Domus OPALINIANÆ; quod tam præstantissimæ Prosapiæ mentionem attigerim. Sic sic ex cœlesti Progenitorum seminio facilè in Te cumulari poterat virtutum omnium fertilitas atq; pulchritudo: hinc formam Tibi bonæ mentis, vt Hederam, à naturæ ac virtutum confinio appensam æstimamus. Quemadmodum enim illi, qui apud mortales sunt aliquando summo loco venerationis habendi, ita nascuntur, vt nihil à teneris vnguiculis præseferant, quod vulgaritatem, quod exilitatem redoleat. Sic & Tu in Te ipso veritatem conciliasti prouerbio, Plantulas

exse-

exserere germinando maturiùs, vtraq; proprietatem innatam nihil solere spirare. Quæ causa fuit, ita pueritiam Tuã fuisse peractam, quod neq; tenellus animus exitiosa parentũ indulgentia effæminaretur, nec laruatis nutricum blandimentis emolliretur, nec perniciosis licentiæ habenis, deterioraretur, nec mundanis illecebris captus vinciretur. Detestanda nobilium liberorum iactura, qui antequam per ætatem vitia norunt, ab his in præcipitia dilabantur. Tu verò ita pueritiam, ita adolescentiam transegisti, vt concentũ quendam actionum honestarum, quantùm ætatis suffragio licuit instruxisse videaris. Paucos reperies qui sano consilio proprio vel aliorum se suaque disponant, pleriq; dum vitæ instrumenta conquirunt vitam transeunt & perdunt, ac eorum more quæ fluminibus innatant, appetitibus suis tanquam vndis feruntur, non eunt. Atq; idcirco Tu non contentus domestica naturalis Soli disciplina celeberrima aliquot Europæ Gymnasia impiger & alacer adijsti. Vbi cùm magnis optimarum artium genere viris, in disciplinã Te tradidisses, haud multò decurso spatio temporis, ingenij bonitatatem diligenti curâ & exercitatione adiuuante, humanis Diuinisq; scientijs sufficienter instruxisti. Ac illa quidem peregrinatio aliquot annorum per Germaniam, Italiã Galliam, aliasq; Prouincias insignia Tibi, ad comparãdas virtutes statui Ecclesiastico & Politico necessarias, adiumẽta vbertim suppeditauit. Magna enim peregrinantiũ discrimina: alij rerum nouitate detenti, velut pueri, ignota mirantes, altiùs non assurgunt: alios mobiliores leuioresque reddit ipsa iactatio, vt quæ, cupidissime loca petierunt, cupidiùs deserant, & auium more transuolando, citiùs quam venerint, abeant. Perlustrare, diuagari, cuiusuis est triuialis cedronis: pauci peregrinando id curant & efficiunt, vt varia gentium instituta, linguas, mores, ritusque incolarum, formas ciuitatum, sed maximè veram, ad prudenter vitam instituendam, instruendumque iudicium, semitam, assequantur. Sed Tu sicut qui, nauticam artem, vel iaculatoriam exercent, scopum ad quem colliment præfixum habent, antequã exoticas adires Prouincias, ita Tibi illud præfinire

viſus es, quòd ætati maturiori erat profuturum. Ad cuius
peregrinationis familiaritatem, optimum ſodalitium nobi-
lium quarundam virtutum, vocare & admittere voluiſti:
adeò quod in Tuo comitatu tres Charites præſtantiſsimas,
Humanitatis ſcilicet beneuolæ; Elegantiæ morum; & pie-
tatis Catholicæ ſemper duxiſſe, & Tecum in Patriam ſuam
reduxiſſe agnoſcaris. Et quidem HVMANITATIS eſt beneficio,
quod ſuperbiam indiſcretam, felicium pediſſequã, procul à
Te ire iuſſam & actam fecerit; ita vt nihil fragili oſtentatio-
ni, nihil vanæ ambitioni, nihil tumidæ arrogantiæ ſit reli-
ctum. Eoq́, hæc ſocietas virtutis eſt admirabilior, quo ra-
rior: quippe ſæpiùs eâ ſcabie fortunatum laborat ingeniũ,
vt quo potentiâ & familia floret ampliore, eò ardentiori
flamma & rabie corripiatur inſoleſcendi: vix enim cuiquã
contingit, & abundare bonis fortunæ, & carere ſuperbia;
quæ dum ſemel veneno blandiſsimo mentem ablegata ra-
tione infaſcinauerit, nihil ſupereſt, quàm vt ſe ſupra cæteros
mortales euectum, cœlis ſuperiorem, Diiſq́; parem æſtimet;
& vt fortunæ indulgentiâ eminentem, ſic animi bonis, quo-
rum plerumq́; ; nec veſtigium (vel ipſe oculus Argi de
prehenderet) ſe ferocientem oſtendat. Et hinc eſt quod
neq́; aditus facilis, non tantum minoribus ſeu inferioribus,
ſed nec æqualibus, imò nec honoratioribus, ad talem ven-
tuosâ opinione inflatum pateat. Porrò in Te, ita comi-
tas humanitatis ac beneuolentiæ, ita manſuetudinis ac cle-
mentiæ ſuauitas, cum fortunis coniũctæ graditur, qud nihil
Tibi ad amplificandum honorem, ex hâc ſolâ benignitatis
facilitate ſuperſit, vnicâ excepta maioris perfectionis ac di-
gnitatis creſcendi materia. Nam talem te quibuſuis exhi-
bes, tanquam communem: ita familiarem, ſicut obſtrictum;
ſic ſubmiſſum, velut particularem ac priuatum: illud moni-
tum obſeruando. Quanto ſuperiores ſumus, tanto nos
Cicer, 1. offic. ſubmiſsiùs geramus. Nihil enim eſt tam deforme quàm
ad aliquem honorem, acerbitatem naturæ adiungere. Qui
Cicer. ad Q. Frat. Ep. 2. enim plus propter virtutem, nobilitatemq́; poſſunt, eò mi-
nùs quantum poſsint debent oſtendere. In Bonis fortunæ
2. de Or. ſumma laus eſt, non extuliſſe ſe in poteſtate, non fuiſſe inſo
lentem

lentem in opibus, non ſe prætuliſſe aliis, propter abundan-
tiam fortunę, ſed bonitati ac moderationi dediſſe faculta-
tem. Et hæc quidem ita contemperata poſsidere videris, vt
nec Illuſtri perſonæ (quod eſt rariſsimum) aut humanitas
authoritatem, aut facilitas dignitatem, aut ſubmiſsio graui-
tatem; nec grauitas amorem diminuat. Deſideria ſua, qui-
libet apud Te explicare, & ad aram clementiæ Tuæ facilè
deponere poteſt; non importuni ianitores obicem acceſſu-
ris interponunt: ſi munus Referendariatus Tui, in teſtimo
nium adducere tempus pateretur. Nihil namq́; laudabiliꝰ Cicer. 1. Offic.
eſt, nihil magno & præclaro viro digniùs, placabilitate &
clementiâ, quæ ita probanda eſt, vt ſolum adhibeatur ſeue-
ritas causâ Reipub. adminiſtrandæ. Neq́ue minùs hu-
manitate, MORVM elegantia, in Viro Eccleſiaſtico
quàm Politico ſpectanda & commẽdãda; nam mores, non Cic. con. Rutil.
ingenerantur à ſtirpe generis ac ſeminis; nec ex iis rebus, quę
ab ipſa natura bonis, & à vitæ conſuetudine ſuppeditantur,
quibus alimur & viuimus, originem trahunt, ſed cura ſe-
ueriori, & cultu animorum diligenti comparantur. Nam Ouid. 2 Art.
minimus labor eſt (aiebat Vates) *Sapienter iactibus vti, ma-
ius opus, mores compoſuiſse ſuos.* Multi enim Troglo- Erasmus Roter.
dytarum, lacui haud ſunt abſimiles: qui ter in die fit amarus
aut ſalſus, ac rurſum dulcis, totieſq́; etiam nocte, vnde in-
ſanus dicitur. Sic quidam inæquales, nunc aſperi, nunc
ſunt blandi, aliquando profuſi, mox tenaces; iam vehemẽ-
ter amant, iam ſupra modum oderunt. Et plerumque,
Pandorum Genti Indiæ conformantur quæ in pueritia cano Plin. lib. 7. cap. 2.
fit capillitio, in ſenecta nigreſcente: ita nonnulli primis an-
nis ſobrii ac modeſti, grandiores, iam ad nugas & ineptiſsi-
mas voluptates abiiciunt ſe ſe, & quaſi pueraſcunt; ſicq́; mo
rum ſuorum diſparitate diſparia ſtudia ſequuntur. Porrò
Tibi morum vniformem pulchritudinem exinde affluere
coniicio, quod præter honeſtam & diligentem domeſticam
educationem, veneres leporeſque meliorum Gentium in
ſermone, geſtu, ſollicitè obſeruaſti, quodque illas affectatas
& ridiculas morum exoticorum oſtentationes, à conſortio
Tuo ſegregatas eſſe voluiſti: ciuilitatem vti par eſt virilem,

non obnoxiam, complectendo: hinc vis discretionis, & prudentiæ, naturæ quoq; bonitas miranda meritò, quod cùm facilè peregrinæ ineptiæ, nouitate aliquâ, aut sub virtutum palliolo obblandientes imbibantur: nihil Tibi imponere potuerit simulatio. Magnæ profectò circumspectionis negotium est, præuidisse, quæ cuique populo agnata vel familiaria vitia: plerumque enim ita contingit, vt in quâ gente certa vitia notantur, mores iam vocentur, & laudem, ne dum vituperium, mereantur; atq; hinc illa veriuerbia in talem vsum facetosum veniunt, quod commessationes, hilaritatis nomine pallientur; (Greg. 10. Mor. cap. 16.) Fastus, fuco grauitatis tegatur, leuitas, lenocinio animositatis occultetur: Proteruia colore comitatis infuscetur: mentis peruersitas, vrbanitas vocetur; adeò quod bonorum virorum rectitudo & simplicitas, fatuitatis colore denigretur; in derisum apud tales simulatores cadendo; quando vitiis nomina speciosa obtunduntur, eademq; à plerisq; tenello complexu fouentur. Quæ ab animo Tuo semper procul agebantur: cum malos mores, quasi herbam irriguam vberrimè succrescentem, aueruncandos semper rectè iudicaueris. Neq; Tuos mores eximios, (cuiusdam scriptoris Politici) negotia ad famulatum Curialem sequentium, tangit reprehensio, quos fanaticos appellando ita loquitur. Aulicorum vitam, nihil aliud ferè esse quàm spontaneam mentis insaniam, dum scilicet, superiorum iuxta & inferiorum, vsualem beneuolentiam, seruili adulationis studio, sibi alliciendo venantur abdicata vltrò rectè rationis libertate: quorum perfidiam, quam, lenissimo *simulationis & dissimulationis*, itemque blandissimo *comitatis & humanitatis* vocabulo, condiunt; ita Comicus breuibus exprimit.

Ore aliud taciteque aliud sub pectore versant, mel in ore & fel in corde nutriendo. Et vt Taciti verba adiiciantur: (l. 14. Annal.) Aulicorum (inquit) complexus & oscula factorum naturâ & consuetudine exercitorum, iactare odium fallacibus indiciis. Verùmenimuerò, quamuis talibus, non orbentur aulæ Principum: hæc tamen censura nullam Nomini Tuo Spectatissimo irrogat iniuriam. Nam ita Te eximium, &

planè

planè summum virum, breui interuallo ostendisti, vt ad tanta munera dignatum & officiorum, facilè & leui pede ascenderis. Et sanè, haut scio an verè magna, & præclara ex se res sit, inquantum libet sublimè honoris fastigium euasisse. In eo enim, id interdum contingit, pro miro, quem in rebus humanis, Diuina prouidentia exercet ludo, vt alii quidem mereantur, alii habeant. Sed, hæc quæ vulgò amplissima, inter mortales habentur, virtute sibi peperisse, virtute tenuisse, virtute illustrasse, id demum maximum est, & in omni æuo non cuiuscunque viri. At quis tàm incuriosus, vt nesciat, magis Te ab iis ad quos iam peruenisti magnis honoribus quæsitũ esse, quàm eos quæsiuisse? Cui, malignus affectus, vsque adeò occlusit oculos, vt non videat Te in hunc sublimem quem attigisti gradum dignitatis, ab ipsa virtute optimâ duce atq; comite manuductum esse? Quis tam refractarius, vt inficietur, aut præceps de re adeò ambiguâ certum iudicium ferre audeat, plus ne insignes eæ, quas obiisti, & sustines, functiones splendoris Tibi attulerint, an à Te vicissim acceperint? quando nunc Magni Episcopi & Senatoris Diuinitus Tibi impositam personam geris.

Ad PIETATIS quoque Tuæ venerationem, perstrictam insinuationem accedo: per quam, primum ipsi DEO (D. Tho. 2. 2. qu. 80. art. 1.) post sanguine coniunctis, Patriæq; & cæteris beneuolis, officium & diligens tribuitur cultus. Pietatis in DEVM, solus status Ecclesiasticus & Pastoralis euidens præbet argumentum. (Cicer. 1. de Natur. Deos.) Non enim, postquam Episcopatus gubernacula prehendisti, proba, laudatoq; viro, retroactæ vitæ studia remisisti, nec, vt interdum fit, mores cum fortuna in deterius immutasti. Taceo Tuam in Deum interiorem religionem, virtutem omnium maximè Principibus viris necessariam; quâ, quem in his humanarum rerum varijs & dubiis fluctibus, cursum tenere debeant, facilè à Supremo illo Gubernatore Deo obtinent. Comicorum quoq; antiquorum oraculo.

Numen colenti, cuncta Numen diriget.
DEVM colendo cuncta facies protinus. (Ex Græcis Comicis.)
Nec supra Numen sapere, mortalis stude.

Neque cætera pietatis Christianæ officia atque quotidiana

tango

tango exercitia: Non enim ita profusus possũ esse in dicẽdo, vt omni ex genere orationem aucuper, & omnes vndiq; flosculos virtutũ carpam atq; delibem, parcens Tuæ verecũdiæ; Tuorumq; in libro vitæ conscriptorum meritorum, mercedem, in tempestiuâ laude euacuare nolens. Senatus ille Venerabilis Capitularis & Sacer, Almæ Ecclesiæ Cathedralis Warmiensis [Cuius celeberrimum Nomen, à primæua sui fundatione, virtutum & sanctitatis gloria, atque excellentia præclarorum semper, magnorumq;, & sapientium virorum, longè lateque diffluere non desinit] non nisi Tuâ pietate perculsus, vota ac desideria sua Tibi consecrauit. Postquam enim, Prædecessor Tuus, insignis pietate Vir, & de Ecclesia illa non mediocriter meritus, Seraphicæ nostræ Religionis summus cultor, amatorq; eximius; verè Nicolai III. Summi Pontificis affectum viuum repræsentans, animumq; & cor ipsius, (particula rudis panni cineracei inuolutum, ac tale in obitu eius repertum) in nostrum gerens Ordinem: Postquam (inquio) rebus humanis exemptus esset. Tu potissimùm mentibus oculisque omnium obuersabaris: Tuæ successionis cupida spes, & orbitatis mœror singulorum solabatur: In Te vnum, studia omnium & sententiæ inclinabantur: Tibi ante alios à Diuinâ bonitate eminens hic locus, Sedis illustris Pontificialis certatim ab vniuersis Apolectis Cathedralibus, expetebatur: Nam nihil erat, quod ad sempiternam Nominis Tui laudem, magnum & excellens; quod ad Ecclesiæ illius præsidia & ornamenta, magnificum ac splendidum; quod ad Diuini honoris propagationem; atque animarum custodiæ Tuæ creditarum salutem, insigne & eximium, de Te sibi non pollicerentur. Ad pietatis quoque Tuæ commendationem, illud vel præcipuè occurrendo accedit: quòd non magis Tuus affectus, in Sanguinem, aut Patriam, sed in beneuolos quoscunq; Tuo patrocinio ac ope egentes promanat, tanquam fons riuulis scaturiginosis fæcundus, aquam hausturis. O virtutem & pietatem cœlo profectam, thesseram Diuinæ dilectionis & ipsâ raritate plus laudabilem! O Fortunatos nimium Diœcesanos, Ciues, subditos, & vicinos

Nicolaus Szyskowski,

In Chronicis S. Franc.

1. Ioan. 4.

Tuos

Tuos, qui Te nunc, velut salutare Numen venerando suspiciunt, & reducem applausu cordiali læti excipiunt. Et profectò, nihil planè à virtutis tramite illius Archiepiscopi Gnesnensis, ornamento primo Gentis Tuæ deflectere videris. De quo Historia Polona loquitur. Bosuta primus, natione Nobilis de Domo WIENIAWA, sed actionibus & moribus nobilior, à Benedicto VIII. Sum. Pont. prouisus, munificus & profusus eleemosinarum largitor; in quoslibet orphanos & inopes viscera gestans charitatis & compassionis. In Clericos suæ Diœcesis rigidus animaduersor, quorũ vitam & conuersationem curiosa visitatione lustrabat annis singulis; sciens ex vita Clericorum, salutem vel interitũ pendere Laicorum. In Rem quoq; publicam Regni Pol. feruidus zelator &c. Quæ omnia stricto pertransit versu Poëta,

Dlugosius.

Ianicius.

Munificus largitor, orphanos miserosque iuuare
Impiger, & celeri pœna, sed æqua fuit,
Compatiens Patriæ, qualem decet esse Polonum.

Silentio prætereo viginti & vltra Mitras Pontificias, quibus capita virorum insignium Tuæ Prosapiæ & Sanguinis consecrata numerantur Tuarum Virtutum, sanctitatis, & splendoris archetypos nobilissimos. Et vt complectar summatim cætera. Morum integritas; ingenium facilè atq; officiosum: feruens & perpetua in Deum deuotio; conscientiæ solius præ quibusuis alijs humanarum rationum suffragijs, prærogatiua, fidei Orthodoxæ Romanæ constantia: dignitas Sacerdotalis: Præsuleæ eminentiæ sublimitas; ad PIETATIS Tuæ ostensionem sic omnia quasi transitu quodam præstricta subeant authoritatem testimonij totamque documentorũ rationem.

Quæ & plura his ornamenta virtutum, Te satis sanguine nobilissimũ multò nobiliorẽ efficiũt. atq; inter Generis Tui lumina, velut solem inter ignes minores, fulgere: aut Adamantem, Magnetemue, multarum gemmarum candorẽ ac virtutem præcellere faciunt. Ille enim inter sidera solis instar corruscat; quisquis ille est, quem Genus & Virtus certatim Heroem consecrant. Et profectò, stellarum aliquas & lunam ipsam afflatuũ malignorũ sæpenumero accu-

 samus

ſamus: At ſol ſolus eſt, extra eam notam maleficij; ſemper proſper, ſalutaris, gratuſque omnibus oritur. Neque Te aut Familiam Tuam, vmbra alicuius reprehenſionis & vitij, aliquando obtenebrauit. Quàm verò gratus omnibus ſis, ac in primis oculis Regiæ Maieſtatis, ipſi ſucceſſus rerum Tuarum clarè patefaciunt. Nam ex quo, vt quoddam lumen nouaq; lux oriri in Curia Regia, & eluceſcere viſus es; ex tunc radios quoſdam: antitheticos, & initia futuræ claritatis ſcintillare cœpiſti: à titulo Secretariatus; ad authoritatem iudiciariam Senatus Tribunalitij procedendo; ac ſolis inſtar, ad Referendariatus fulgorem, tum ad Epiſcopalis dignitatis eminentiam excreſcendo. Ipſe enim SERENISSIMVS REX, rerum factorum q; æſtimator æquiſsimus, maiores quotidie, ad optima & maxima quæque Tuas cernens progreſsiones, maiora quoque Tibi propenſæ, ac benignæ voluntatis argumenta in dies oſtendere cogitabat: optimaſque de Te res concipiebat: cùm in multiplici rerum vſu, vera Tua & præclara illa bona ſpectaret, probitatem vitæ, ab omni fœdi errati labe immunem, candorem morum duplicitatis expertem, ſolidam magnarum rerum ſcientiam ambitioſà oſtentatione vacuam, ſingularem prudentiam in ijs quæ vera & recta eſſent perſpiciendis, præſtantem animi magnitudinem in eiſdem tuendis, egregiam induſtriam in perficiendis. Talibus præſidijs quoniam benè circumquâq ue munitus eras, fruſtra Te illæ nimiùm exitioſæ Aulæ peſtes, inuidia, liuor, & ambitio appetierunt. Tanta enim virtus, & ſi oppugnari premique, ab improbitate aliqua potuit; opprimi tamen & obrui, nihilo magis potuit, quàm ſolis meridiana lux, abſcondi. Quin potius impulſa ſtetit firmius, retardata cucurrit velociùs, depreſſa caput extulit ſublimius, obnubilata effulſit illuſtrius. Hâc fretus turpe illud animi de proprijs meritis diffiſi vitium, quo in altiorem locum per aliorum incomoda & calamitates nonnulli aliquando irrepere nituntur, vti vitâ moribusque Tuis indignum, longiſsimo ſemper à Te propulſaſti interuallo. Atq; præterea, ſicut cœli oculus āërē ſerenando, totius vniuerſi vultum exhilarare conſueuit: nō ſecus

ſecus, curſus velox Tuæ Legationis mœſtam Rēpub. Polonam ad nouam fecit redire lætitiam: ſicut namque nuperrimè, ex inſperata Reginalis Solij orbitate, caligionoſa nubes calamitatis & triſtitiæ, non tantum cor Regis, nec ſola parentalia ſanguinis, ſed totiùs Chriſtianæ Reipub. & maximè Polonæ, faciem obducendo, funeſtis lachrymarum imbribus affecerat: ita Tua opera & beneficio diſcuſſa diſperiit. Vt meritò; poſt nubila, Sarmaticis Oris, lumen ſolis exortū illuxiſſe, quilibet mortalium facilè cognoſcere valeat. Et quiſquis lucere poſt nubila ſolem aſſeruit, ille profectò, modernæ omnium noſtrum lætitiæ proluſiſſe videtur. Nam ſtudio Tuo Orbi Polono denuo cœlum beneficum ridet, gratiſsimâ felicitate damnum compenſando. Cùm Sereniſsimam LVDOVICAM MARIAM de Gonzagues, & de Cleues: Principem Mantuæ; & Montis Ferrati, Ducem Niuerſij, Paris Franciæ. Auguſtum tot Cæſarum, Regum, & Principum, tot Ducum, Marchionum, ac Comitum Sanguinem, Magno, Potentiſsimo, Bellicoſiſsimo Principi, VLADISLAO IV. Poloniæ, & Sueciæ REGI. Domino noſtro Clementiſsimo, feliciter deſponſatam, victricium Sceptrorum Regnatricem Sociam effeciſti. Nouum certè lumen, Conciuium Tuorum Terris, effulgere feciſti. quandò è nigro peracerbi mœroris nubilo, ac tædioſa triſtitiæ caligine ſuauiſsimam gaudij candidamque lucem; Vt olim per Amphiliam Regno Cymbriæ Hilaritatem & ſerenitatem (nummorum iconibus graphicis atteſtantibus) non tantum Solo Lechico, ſed Toti Chriſtianitati induxiſti, aſpectus ſingulorum exhilarando: cœlo & fatis nouorū connubiorum texturam ordientibus. In quæ vota Thori Regalis, animum virgineum & Angelicum, non niſi vel vt Angelus, mortali ore locutus aut homo, Angelica verba proferens flectere potuiſti: Certè cor verecundum & caſtiſsimum, per diuturna itinera, in tam remotas Terras Regni iſtius quaſi quibuſdam arcanis nodis Magnetinis; aut Herculeis catenulis verborum aureis, ab ore Tuo fuſis, conſtrictum pelliciendo traxiſti. Tibi Tibi eſſet canendum. (Ludouic. Legionen)

Cedant arma Togæ & quamuis duriſſima corda
Eloquio pollens, in ſua vota trahit. (Alciat. Embl. 181.)

F

Verum

Verùm & ſecretioris Philoſophiæ arte ac myſterio, Te vſū fuiſſe deprehendo. Europam aliquando Agenoris Regis Phœnicum Filiam adamatam. Iupiter, formâ Bouis, aut Biſontis, raptam abdu;erat in Cretam.

Horatius 3. carm ode 27. Ouidius 3. Met.

Europe niueum doloſè. Credidit Tauro latus
Namq; Deus poſita, fallacis imagine Tauri,
Se confeſſus erat; Dictæaq; rura tenebat.

Natalis Comes Mythol. Lib. 8. Virgijins lib. 5. Æneid.

Quod ſi illa de Tauro memoriæ prodita fabuloſeq; confi-cta ad veritatem citcumferantur: ſolùm modò in prora eius nauigij Tauri ſculpta vel depicta effigies inhærebat, Naui nomenclaturam adferens: Prout apud illum Vatem celeberrimum Centauri & chimæræ naues nominibus donabantur. Quando igitur Familiæ Tuæ: ſimulque Opalinianæ, Armorum inſignia Nobilitatis conſpicio, occurrere Nauim, cum facie Capitis Biſontini ſeu Taurini animaduerto.

Pſalg. 87 Plinius, lib. 3.

Vbi Iupiter noſter Polonus Rex, Diuino oraculo, & ore prophetico. Deus terreſtris appellatus, dùm, non iā Agenoridem Plinij ore, omnium gentium, populique terrarum pulcherrimam; ſed LVDOVICAM MARIAM Mantuæ Principem indiſſolubili coniugalis conſortij nexu ſociare ſibi cogitat: ad deducendam deportandamq; à Regno Galliæ (ob candorem populi Lacteo vocitato) in Partes Gentis Lechiacæ Thronumq; Regalem.

Stephan.

Navim Opalinianam, cùm Facie Bisontis Lesczyniani parat & dirigit; vt ſuis votis, & iuſtis conatibus, dulciq; amicâ potitus fruеretur. Atq; hinc quidem de Illuſtriſsima Proſapia Opaliniorvm: ac de ipſo Magno & Ampliſsimo Senatore Illuſtriſsimo Domino D. CHRISTOPHORO de Bnin OPALINSKI Palatino Poſnanienſi, ſummè maieſtatis, dignitatis, & meritorum Viro. Comite principali eiuſdem nuptialis Legationis, obuiat facultas dicendi; ad tamen ad ipſius gloriæ & laudis encomium non plura (ad finem properando) adferam; quàm quod æqualis Excellentiæ, Virtutis & Nobilitatis vtramquè Propaginem aſſerendo decernam.

Ac demum, ſolaris curſus cauſam pauliſper inſpiciamus. Sol circumagitur ratione boni communis. Tu proinde obſequeris publico commodo, Tui ipſius velut contemptor, vel ſubſtantiæ ſumptuumque immemor. Nihil hic referam

referam de curis & laboribus, quibus non fatigaris, ſed cō ſolidaris, non frangeris, ſed induraris, vim Adamantis in eis ſuſcipiendis & ſuperandis, vel certè curſum ſolis indefatigabilem virtutemq; , præſeferendo. Cum tamen in viro nobili plerùmq; labor ſit pudor: cuius negotium cum aſsiduitate nihil aliud eſſe deberet, quàm otium honeſtum, tanquam cum ſolaribus paſsibus conſentiens. Enim verò, ipſe Sol cupit excuſari, velut impar Heroi depingendo; qui & ſi pulcherrimè ipſemet, in campis flores, in coloribus venuſtatem, in áere luciditatem, in cœlo iridem, in nubibus varietatem effingat: nequit tamen exprimere in Te, cum nobilitate, animi moderationem, ſeu quæ circa opes, voluptates, aut honores verſantur: plerumq; verò horum ſoleat inprimimis appetens eſſe Nobilitas. Sed tandem, ad extremum huius Orationis, magnitudo gloriæ, & Nominis Tui, me compellit. Et cum me imparem præconem, Virtutum Tuarum agnoſcam, infantiam ſermonis deprecor; & quod, ſi quæ ſingulorum cordibus emanant vota, pari alacritate proferre & exprimere non valuerim. Sanè tamen, quidquid à decurſu multorum ſeculorum, profectum eſt in hominum congratulationibus, illud omne huic cumulo aggeſtum peruellem. Viuat, vigeat, floreat, perennes redux, Auſpex, ad patrios lares, Præſul illuſtriſsimus, Plura autem accumulare volentem pudor, ſed & tenuitas ingenij, ac ſublimitas Tuæ Excellentiæ impedit. Viuat Io uigeatque diu LESCZYNIA virtus. Sit honoribus locupletior, ſucceſsibus glorioſior, ſit beatitudine immortalis. Valeas igitur diutiſsime. Et qui es compos magnæ Nobilitatis & Virtutis, ſis pariter compos maioris fortunæ, & maximæ felicitatis. Ingrediariſq; per ſacrarium temporarij honoris in felicitatis illud æuiternum, quod tamen vt ſerum ſit maximè cupio. Ita Tibi voueo Illuſtriſsime Præsvl, Reditum Tuum lætus nomine & in Perſona totiùs Prouinciæ excipiendo.

Cum licentia Superiorum.

VARSAVIÆ, In Officina Petri Elert S. R. M. Typog. Anno D. 1646.

[illegible]

[illegible] tuorum cursus honoribus, quas [illegible] [illegible] non sanguis, cluduntur [illegible] tolerantia & Superantia, vel concessum [illegible] solem vitæ cumque, prætereundo. Quam tamen [illegible] si plerumque labor sit pudor: [illegible] rate nihil aliud esse deberet, quam cum [illegible] quam cum solaribus [illegible] considerans. [illegible] vel cupit exosculari, velut in [illegible] deprehendere, quæ si pulcherrimè splendescentes, in cœlestibus varietatem, in aere lucidi[illegible], in [illegible] in nubibus varietatem [illegible] neque tamen exprimeram Te, cum nobilitate, animi moderationem, seu quæ circa opes voluptates, aut honores versantur: plurimis; verò horum solæ inprimimis appetens esse Nobilitas. Sed tandem, ad extremum huius Orationis, magnitudo gloriæ, & Nominis Tui, me compellit. Et cum me imparem præconem Virtutum Tuarum agnoscam, infantiam sermonis deprecor; et quod, si quæ singulorum cordibus emanant vota, pari alacritate proferre & exprimere non valeam. Sanè tamen, quidquid à decursu multorum sæculorum, prædictum est in hominum congratulationibus, illud omne huic cumulo aggestum persuadeam. Vivat, vigeat, floreat, perennes redux Auspex, ad patrios lares, Præsul Illustrissime. Plura autem accumulare [illegible] pudor, sed & tenuitas ingenij, ac sublimitas Tuæ Excellentiæ impedit. Vivat in æternumque diu LESCZYNIA virtus. Sic honoribus locupletior, successibus glorietur, sic magnitudine immortalis. Valeas igitur diutissimè. [illegible] Nobilitatis & Virtutis, si parcet compos majoris fortunæ, & maximæ felicitatis. Ingredienti[illegible] [illegible] temporarij honoris in felicitatis aliud [illegible], quod tamen ut [illegible] sit maximè cupio. Ita Tibi vaticinor Illustrissime Præsul. Reditum Tuum [illegible] nominee in [illegible] Provinciæ excipiendis.

Cum licentia Superiorum.

[illegible]